Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1210
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Recordatus est quoniam pulvis sumus homo sicut fenum
dies eius tamquam flos agri sic efflorebit quoniam
spiritus pertransibit in illo et non subsistet et non agnos-
cet amplius locum suum Misericordia autem domini ab aeter-
no et usque in aeternum super timentes eum et iustitia
illius in filios filiorum his qui servant testamentum
eius et memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum
ea Dominus in celo paravit sedem suam et regnum
ipsius omnibus dominabitur Benedicite domino angeli eius potentes
virtutes facientes verbum illius ad audiendam vocem
sermonis eius Benedicite domino omnes virtutes eius ministri eius qui
facitis voluntatem eius Benedicite domino omnia opera eius in
omni loco dominationis vestre Benedic anima mea domino
Clamor meus ad te veniat domine Benedic anima mea domino
Benedic anima mea domino domine deus meus magnificatus
es vehementer Confessionem et decorem induisti am-
ictus lumine sicut vestimento extendens celum sicut pelle
qui tegis aquis superiora eius Qui ponis nubem as-
censum tuum qui ambulas super pennas ventorum
facis angelos tuos spiritus et ministros tuos ignem
urentem Qui fundasti terram super stabilitatem suam
non inclinabitur in seculum seculi abyssus sicut vestimentum
amictus eius super montes stabunt aquae A increpatione tua fugient a voce tonitrui tui formidabunt
ascendunt montes et descendunt campi in locum
quem fundasti eis Terminum posuisti quem non tran-
gredientur neque convertuntur operire terram Qui emittis fon-
tes in convallibus inter medium montium pertransi-
bunt aquae Potabunt omnes bestie agri expecta-
bunt onagri in siti sua super ea volucres celi ha-